

simam, Dauentriensem dico, anno 1492 impressam,¹ qui praeparauit, quamquam codice quodam notae non deterrimae usus erat, textum tamen satis corruptum praebuit ex arbitrio multis mutatis erroribusque plurimis neglegentia typographi admissis.

Paulo melior dicenda est editio Aldina, Uenetiae anno 1501 typis descripta, cuius editor codicem ‚ab usque Britannis‘ accitum se testatur secutum esse.² Hanc editionem Aldinam ducem sequuntur editiones et quae Lucronii a. 1512 et quae paulo post, neque tamen anno neque loco indicato, in lucem prodiit, utraque commentariis Antonii Nebrissensis instructa.

Deinde Joannes Sichardus, qui anno 1527 nouam editionem Basileae typis excudendam curauit, ‚codices uetustiores‘ quosdam adhibuerat, quo subsidio fultus textum tamen non multo puriorem reddidit. Inter hos uetustiores unum diserte nominat, quem ad se Argentorato submissum esse dicit a ‚uiro consulari Uuerinbero Uuoffino‘. Hic codex sine dubio idem

¹ Exstant quidem editiones duae antiquiores, sed partes tantummodo paruas corporis Prudentiani continent; Hamartigenia enim et Psychomachia primum iam anno 1470, Psychomachia 1473 typis descriptae sunt. Editio, quam supra diximus, Dauentriensis totius Prudentii editio princeps uere habenda est. Falso enim Dressel in editionis suae praefatione (p. XXV) discrimen statuit inter antiquiorem quandam editionem (formae quadratae sine loco et anno) a Fabricio nominatam et Dauentriensem. Nam quae in calce illius editionis legi Dressel dicit, ea re uera ad Dauentriensem spectant, quae et ipsa loci et anni indicio caret et formae quadratae est. Atque in exemplari, quod uidi in bibliotheca uniuersitatis Cantabrigiensis, sat antiquis litteris scriptum exstat: *impressum Dauentriae typis Richardi Pafraet circa annos 1490*. Similia exemplaria in bibliotheca regia Berolinensi, in cuius catalogo editio anno 1490 adsignatur, et in bibliotheca Musei Britannici seruantur, cuius qui confecit catalogum dubitanter librum 1497 impressum esse posuit. Sed exstant certa quaedam indicia typographica, ut ii, qui studiis incunabulorum, quae uocantur, operam dant, iam de anno 1492 non dubitent.

² Huius codicis lectiones cum Guelferb. Aug. 56. 18 saepe conspirare docet Obbarius in edit. prol. p. XXXII. Ordo carminum, quem praebet Aldina, a ceteris editionibus abhorret: *Ps* primum habet locum, *Pe 10* inter *H* et *Pe 1* inseritur, *S* post *Pe* ponitur. Hic ordo re uera cognatus est ordini ueterum codicum Britannicorum (u. infra). Etiam editio Dauentriensis cum familia quadam codicum Britannicorum conexum uidetur habuisse.